DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

USU RADICIS COLUMBO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

USU RADICIS COLUMBO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII EKAMA,

A. L. M. PHILOS. DOCT.

MATHESEOS ET ASTRONOMIAE PROFESSORIS ORDINARII,

ET

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS CORNELIUS VAN DEN BROECKE,

AARDENBURGO — ZELANDUS.

Ad diem VII. *Decembris* MDCCCXXII. *Horâ* XI—XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD HAAK ET SOCIOS,

MDCCCXXII.

VIRO AMPLISSIMO

ABRAHAMO VAN DEN BROECKE,

ORDINIBUS ZELANDIAE ADSCRIPTO,

P A T R I O P T I M O,

OMNI QUA DECET PIETATE COLENDO.

Hanc qualemcunque Dissertationem suam,

D. D. D.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

USU RADICIS COLUMBO.

Compondituro mihi dissertationem, qua honorem doctoris, si fieri possit, capesserem, visum fuit nonnulla scribere de usu radicis columbo. Commendabant argumentum inprimis hujus medicamenti egregiae virtutes, et nonnullae, quas de hujus usu traderem, observationes.

In nostra scriptione hunc ordinem tenebimus, ut priore capite, quae de medicamenti historia constent, memoremus, et botanicas chemicasque proprietates enarremus; in altero usum radicis medicum, observationibus aliquot confirmatum.

CAPUT I.

HISTORIA RADICIS COLUMBO.

Radix columbo, diu antequam in Europa cognosceretur, in India orientali et dicta et habita est medicina, maxime in insula Ceylone, a cujus urbe Columbo etiam nomen acceperit. Primus, qui radicis mentionem facit, videtur esse praeclarus ille Redius, eam in opere suo *Experimenta circa varias res naturales, quae ex Indiis adferuntur*, anno 1635 edito, paucis commendans tanquam alexipharmaci laude insignem, et omnino dignam, quae ulterius exploretur (1). Neque ita diu post Redii scripta Semmedus maximas laudes columbo tribuit atque utilissimum censuit remedium contra dolores colicos alia-

(1) *Esprit des Journaux*, *an.* 1777. *Avril.*

aliaque digestionis depravatae vitia (1). Percivalius anno 1773 hujus remedii expositionem dedit ejusque in varios affectus efficaciam expertus laudavit. Cl. viri testimonia haud parum contulerunt ad famam hujus remedii augendam (2). Pringlius enim, cum ea, quae de radice a Percivalio erant scripta, vera esse vidisset, hoc remedium ad S. de Monchy, medicum Roterodami solertem, misit; atque de ejus usu haec testatur Gaubius: « Miserat is « mihi radicem Indicam Ceylanensem, calom- « ba dictam, sibi a Pringlio, aulae Britannicae « Archiatro, magnopere laudatam commenda- « tamque, ut probatissimum ad alvi profluvia « remedium: illi vicissim ego, tum forte de « mea lopeziana cogitans, hujus aliquantum « transmitto, consimilique virtute praestantem, « ut data occasione experiatur, rogo mihique, « qualem sese exhibuerit, significet. Retulit « autem factis in triplici diarrheae genere pe- « riculis visum sibi esse, radicem calomba in « al-

(1) J. A. Murray *Apparatus Medicaminum*, *Vol.* VI. *pag.* 154.

(2) Percival's *Essays medical and experimental*, *Vol.* II. *p.* 3.

« alvi fluxu habituali, aegro gracili ac extenu-« ato, plus praestare, quam meam: in ali-« quot infantibus, ex acido vel dentitione nata « diarrhea lopezianam quidem, quod operae « pretium esset, nihil effecisse: verum in col-« liquativa phthisicorum tam promptam attu-« lisse opem, ut etiam aliis remediis palmam « praeripuerit." (1)

Tandem vero in nostram patriam ex insula Ceylone translata fuit radix columbo a quodam navis praefecto, qui, quum in Ceylone dysenteria ipse laborasset, novaeque hujus medicinae praestantiam expertus fuisset, in patriam redux secum tulit viginti circiter radicis libras, easque Amstelodami vendidit. Quo factum est, ut nonnullae thesauri particulae ad Gallos et Germanos fuerint translatae et ab iis usurpatae, quare postea tantam famam nacta est columbo, ut annis 1777—78 Bertrand de la Gresie aliique medici Parisienses hujus remedii laudes scriptione celebrarint (2).

At-

(1) H. D. Gaubii *Adversaria varii argumenti*, *p.* 82—83.

(2) *Histoire et Mémoires de la Societé royale de Médecine an.* 1777—78, *Hist. p.* 291. *et Esprit des Journaux l. l.*

Atque eodem tempore medici Angli et Batavi, qui in India orientali medicinam faciebant, multi fuere in commendando nostro remedio. Denique anno 1773 a Beckero etiam scripta fuit dissertatio de radice columbo, quam Cl. Cartheuserus dignam judicavit, quae in dissertationibus selectis recuderetur (1).

Ex dictis, credo, manifestum fit, radicem columbo ad medicamenta pertinere quibus ea contigerit sors, ut sua efficacia et virtute toti medicorum reipublicae placuerint. Cullenus solus diffisus est huic medicamento, quod parum efficax aliquando invenisset (2). Sed cum tot sint clarissimorum virorum testimonia in remedii laudem prolata, frequensque sit radicis adulteratio, potius credam non bona radice usum fuisse Cullenum, quam dubitem de virtute radicis. Et vero non omne medicamentum omni tempore vere medicamentum est.

(1) J. T. Cartheuser, *Dissert. Physico-Chymico-Medic.* a. 1774. p. 135.
(2) Murray *l. l.*

Botanica radicis expositio.

Patria radicis columbo esse dicitur Asiae continens, quamvis a botanicis nondum probatum sit ad quamnam stirpem pertineat. De Candolle non dubitavit eam referre ad Menisperma hirsutum; (quod Linnaeo est Menisperma palmatum) hoc assertum probarent itineratorum testimonia. Commersonus nimirum in Insula Franciae (Isle de France) plantam vidisset, quae colomba aut colombra dicta, ab Asiae vel Africae continente eo sit translata et culta. Postea Fortin ad oras Mosambici plantam invenisset, quae columbo nostram largiatur et ab Africanis *Kalumb* nominetur. Atque Andrew Berry etiam plantam, quam Menisperma columbo vocat, delineavit et descripsit in opere Asiatic Researches *vol.* X. *p.* 385. *t.* V. (1).

Aliam tamen protulit sententiam Wildenowius, analogiae innixam, illamque censet aliquam

(1) Versuch über die Arzneikräfte der Pflanzen etc. von A. P. de Candolle, übersetzt von K. J. Perleb. Aarau *p.* 88.

quam esse bryoniae speciem (1). Quaenam vera sit, doceat experientia.

Neque radix columbo integra ad nos transfertur, nam secta est in taleolas orbiculatas aut in bacillos seu frustula cylindrica, quae duos pollices et quartam pollicis partem crassa sunt. Corticem habet rugosum valde, crassum, ferrugineum. Sub hoc latet textura solidior, coloris subfusci. Transversaliter secta facile observatur triplex radicis indoles, cortex scil., pars lignea et medullaris, quae nigris lineis a se invicem distinguuntur. Figura interioris radicis pro aetate differt; teneriores enim radices strias sibi parallelas fuscas et puncta lutea, subcontigua, per series longitudinales et sibi parallelas disposita monstrant, dum adultae magis compacta, longe minora, parva; annulo corticali pallido, sublutescente, aequali (2).

Odor hujus radicis nonnihil aromaticus est, quamvis in nostris regionibus multum odoris ami-

(1) *Manuel des Pharmaciens et des Droguistes etc.* 1821. *Tom.* I. *p.* 211.

(2) Conf. Bergius *Mater. Medic. Tom.* II. *p.* 906. *Manuel des Pharm. et des Drog. l. l. Neues Journal der Pharmacie etc. von* D. J. B. Trommsdorff 1820, IV. *B.* 1 *St. p.* 314.

amiserit. Habet saporem acriusculum, amarum, satis tamen sincerum linguaeque adhaerentem, fere gentianae similem, aut seminis sinapi diu servati. Masticatione autem emollitur et quodammodo solvitur; uti gentiana aëris humiditatem rapit.

Saepius corrumpitur columbo radice costi amari et bryoniae albae L. Fraus vero in costo amaro inprimis innotescit ex sapore ei radicis violarum simili. Difficilius bryonia in columbo discernitur, nam decocto radicis columbo perfusa hujus colorem aliasque proprietates induit. Sic etiam scriptum legimus radicem quandam ex America ad Germanos missam fuisse, quae vera columbo habebatur. Analysis vero hujus radicis a doctissimo Stoltze facta probavit veram columbo non fuisse (1). Denique radices saepe afferuntur ex

(1) Haec celebr. Trommsdorffius retulit: Herr Stoltze in Halle machte bekannt, dass er von einer angesehen Handlung in Bremen eine Probe Wurzeln zur untersuchung zugeschickt bekommen habe, mit der Bemerkung, dass sie davon etwa 2000 Pfund aus America unter dem Namen *Radices Columbo* erhalten hätten. Obgleich diese wurzeln viele Aehnlichkeit mit der ächten besitzen, so unterscheiden sie sich doch von derselben, so wohl in der wirkung, als der zusammensetzung. Zwey Drachmen dieser wurzel be-

ex India orientali, quae a vermibus exesae nullius

bewirkten bey einem grossen Hunde Erbrechen. Herr STOLTZE verdient herzlichen Dank, dass er das Publikum davon bald benachrichtiget, und eine genaue Vergleichung beyder Wurzeln angestellt hat, die wir hier zur baldigen Bekanntmachung und weitern Verbreitung ebenfalls mittheilen wollen.

Farbe: aüsserlich hellbraun, innerlich weisslich gelb; gepulvert hellgelb. Geschmack: Anfangs süsslich, später wenig bitterlich und etwas nauseös. Geruch: Zwischen *Levisticum* und *Pimpinella* innestehend. Aüssere Form: mehr der Länge nach gespaltene Stücke darunter. Innere Form: Nur aus zwey Schichten zusammen gesetzt, die keine schwarzen linien trennen.

Geistige Tinktur aus 1 Theil Wurzel und 8 Theilen Weingeist von 75 Procent: Die Farbe des alten Franzweines, färbt das Papier nur wenig schmutzig bräunlich, und die Farbe wird durch Kali nicht verändert. Ihr Geschmack ist gering bitter. Mit Wasser gibt sie nach einiger Zeit einen weissen, mit Bleysucker einen hellbraunen Niederschlag. Die Eisenauflösungen geben damit dunkelgrüne Mischungen. Mit Galläpfeltinktur gibt sie gar keinen Niederschlag.

Abkochung von 1 Theil Wurzel mit 12 Theilen Wasser auf 8 Theile: von der Farbe des alten Franzweines und vollkommen durchsichtig, schwach bitterlich, unbedeutend schleimig, obgleich eine Drachme Pulver met 1 Unze Wasser zur Dicke einer Latwerge aufquillt. Galläpfeltinktur bewerkt gar keinen Niederschlag, und Alkohol eine unbedeutende gelatinöse Absonderung. Die Eisenauflösungen machen die Farbe etwas dunkler, ohne jedoch eine grüne oder schwärzliche Farbe, oder einen Niederschlag damit hervorzubringen.

Ob nun gleich das Bremer Handelshaus diese falsche Wurzel gewiss nicht in Handel bringen wird, so können doch auch an andere Handelsplätze diese Wurzeln verschickt worden seyn, daher ich jeden Apotheker bitte, recht aufmerksam zu seyn bey dem Anschaffen dieser Würzeln, Vid. Neues Journal von Trommsdorff. *l. l.*

lius sunt virtutis (1). Hae bonas mire simulant, quoniam vermium noxae teguntur materie mucilaginosa flava, quae fraus difficulter detegi potest (2).

Examen Radicis Columbo Chemicum.

Natura radicis columbo chemica indagata est a Percivalio, Beckero et Jossio. Percivalius inprimis vim antisepticam radicis columbo inquisivit et majorem aliquam ea corticis peruviani se reperisse testatur (3). Beckerus contendit radici inesse multas partes terreas, inertes, porro subtile ac plane singulare principium, volatile, balsamicum, atque efficacissimam materiem firmiorem amaram duplicis indolis, tam resinosam quam gummosam, hanc autem illa copia majorem (4). Cum his experimenta a Jossio instituta satis conveniunt (5).

Re-

(1) Trommsdorffius scribit vermes radicem columbo quammaxime appetere. Handbuch der Pharmaceutischen Waarenkunde etc. *p.* 157.

(2) *Manuel des Pharm. et des Drog. l. l.*

(3) Percival *l. l. p.* 20.

(4) Cartheuser *Dissert. Phys- Chym.- Medic. p.* 157.

(5) *Hist. et Mém. de l'Acad. de Paris, an.*1779. *Hist. p.* 243.

Recentiori vero tempore cum experimenta chemica paulo diligentius et accuratius instituere coeperunt materiae medicae scriptores, rursus columbo ad examen vocata est. Alibertus in sua de medicamentis scriptione chemicam ipsius naturam etiam tradidit. Et non multo post a la Planchio, viro harum rerum peritissimo et multis scriptis analysibus vegetabilium claro, analysis nostrae radicis conscripta est. Nempe de Candolle docet la Planchium invenisse radicem constare ex tribus partibus, una lignea, altera amylacea, tertia plena materie animali, flava, amara, quae salibus metallicis non mutatur (1).

Novissimum doct. Stoltze, de quo jam antea dictum fuit, examen radicis columbo chemicum fecit. Invenit tincturam ex una radicis columbo parte et spiritus vini partibus octo fieri coloris pulchre aureo-flavi; chartamque eodem tingi colore; alcali addito fuscam fieri. Saporem habere valde amarum. Neque aquâ turbari, neque solutione plumbi; neque sulphate aut muriate ferri nigrari, sed turbari sordi-

(1) Versuch über die Arzneikräfte der Pflanzen etc. pl. 58.

didumque et cinereum aliquod praecipitatum nasci.

Porro ipsius decoctum, paratum ex radicis una parte cum duodecim aquae partibus cocta, erat subfuscum et quodammodo turbatum. Saporis valde amari et densitatis veluti solutionis gummosae. Ex eodem tinctura gallarum materiem albescentem griseamque praecipitem dabat, alcohol vero multum alicujus albae materiae. Solutionibus ferri non nigrabatur (1).

Apparet adeo Stoltzii analysin cum ea la Planchii bene convenire.

Atque haec experimenta quamquam radicis naturam monstrarunt, tamen nobis pretium visum est chemice eandem explorare et nostris quoque experimentis ipsius principia a se invicem secernere.

Miscuimus adeo unciam dimidiam acidi sulphurici puri et uncias sedecim aquae frigidae cum duodecim pulveris radicis. E miscela, lapsis 24 horis, expressus est liquor spumeus, coloris aureo- fusci, limpidi, saporis acidi, amari,

(1) Vid. Journal von Trommsdorff. *l. l.*

ri, odoris radicem spirantis. Expresso pulveri infusa est rursus uncia dimidia ejusdem acidi cum sedecim aquae. Horis 24 post ex miscela est expressus liquor parum spumeus, tenuior, coloris similis quidem priori, tamen diluti, saporis acidioris minusque amari. Commistis liquoribus additum est tantum calcis vivae, ut non modo omne acidum terrae satur fieret; sed aliquantum etiam abundaret calx, ut charta coerulea fieret viridis. Addita autem calce liquor odorem spirabat valde ammoniacalem. Pulvis praeceps datus, collectus, aqua ablutus et lente siccatus, coloris subfusci erat, saporis aliquantum amarescentis.

Pulvis cum unciis duodecim alcoholis digestus est et expressus. Spiritus autem tinctus est colore subfusco, saporisque erat amarescentis. Detractis destillatione unciis octo spiritus limpidi, liquoris sapor amarior factus est, colorque fuscior. Lente et sponte insuper cum essent exhalatae duae fere unciae spiritus, aliquid materiae subfuscae, et quasi coactae praeceps datum est, inque ea micabant crystalli, lentis adjumento pulchre observabiles.

Crystallorum paucitas cum magna esset nec

satis temporis, ut experimenta repeterentur adhibita majori radicis quantitate, eae non multis modis explorari potuerunt. Exploratae tamen sunt nonnihil, cujus rei eventus enarrare forte non incongruum est, cum ante haec experimenta de his crystallis videatur mentio facta esse nulla.

Erant autem crystalli nitidae, formamque acus valde conspicuam monstrabant. Primo abluentem aquam colore flavo tingebant; deinde non amplius; videtur adeo ille color tribuendus esse materiae adhaerenti.

Solvebantur aqua neque frigida, neque calida. In aethere solvebantur. Fiebat aether albus, et ut sapo liquidus; singularem odorem spirabat tanquam fuci (vernis) et saporem acrem, calidum, aromaticum consequebatur; guttae olei aetheri innatabant: isque siccatus maculam albam linquebat.

Potassâ causticâ non tangebantur; neque aquâ calcis.

Acidum muriaticum iis demebat splendorem, et concidebant in floccos albissimos et mobiles. Purae acido sulphurico parum afficiebantur, junctae autem cum materie flava solvebantur.

Haec

Haec solutio lente exhalata et siccata facta est pulvis flavus, amarus.

Haec dicenda erant de crystallis. Videntur illae crystalli singularis esse indolis et omnino ulterius examen mereri.

Ceterum spiritus lente magis magisque exhalatus coloris fuscioris factus est, et saporis amarioris, exque eo flocci quasi coacti, subfusci, praecipites dati sunt.

Porro liquor, cui addita fuerat calx, colatus limpidus erat et coloris fusci, ad aureum proxime accedentis. Ejus color additis alcalibus fiebat fuscior, acidis autem liquor retinebat colorem, et fiebat limpidissimus. Sin autem liquori, cui additum erat alcali, addebatur acidum, ut neque acidum, neque alcali abundaret, amittebat limpitudinem, et aliquantum turbidus fiebat. Ceterum saporem habebat amarum.

Pulvis autem bis expressus non omni tamen materie flava et amara carebat; habebatque aliquantum mucilaginis, multum amyli, et materiae ligneae, fibrosae.

Unciae pulveris radicis infusae sunt tres unciae alcoholis; spiritus factus est tinctura aureo-fusca, saporis amarissimi. Hujus una et di-

mi-

midia uncia exhalata, reliquus liquor spissus fiebat, et lentus, et veluti cohaerentes striae flavae, coloris syrupi communis cum lacte misti.

Huic adjectae sunt unciae quinque aquae destillatae; et natus est et praeceps datus pulvis aliquis.

Aqua facta est flavissima et amara; qua igni expulsa extractum erat valde fuscum et amarissimum. Pulvis ablutus erat flavescens, potassâ et ammoniâ fuscus fiebat, ejusque aliquantulum iis solvebatur. Acidis sulphurico et muriatico non solvebatur. Aethere in duas partes secernebatur, alteram pulverem fuscum, materiem flavam alteram.

Denique radix digesta est cum aethere. Qui colatus erat flavus, coloris longe dilutioris illâ tincturâ alcoholis, atque amaritiei valde temperatae. Aethere fere sua sponte diffuso, materies tenax, fusca, amara relicta est, nihil aliquid crystalli monstrans. Huic adfusus est alcohol. Qui disjunxit materiem; hujusque alteram partem suscepit, secumque junxit; alteram sub forma strati alicujus natantis a se dimisit. Referebat hoc stratum aliquid pinguedinis; suscipiebatur potassa, acido autem addito expellebatur. Ille vero alcohol fuscus erat factus et amarus. Quo

sua

sua sponte expulso, relicta est materies tenax, valde fusca, aliquomodo splendens, amara, resinae non dissimilis, atque alcohole rursus tota solvebatur.

Ceterum eventus experimentorum Stoltzii confirmatos vidimus.

CAPUT II.

USUS RADICIS COLUMBO MEDICUS.

Radix columbo plurimis ventriculi et intestinorum morbis medetur. Non pauci auctores eam commendarunt ut remedium dysenteriae, siquidem hujus impetus sedari coeperit, ut intestina, quae tonum amisissent, morbosque adeo lentos gignerent, pristinum robur recuperarent. Beckerus cum hanc virtutem vidisset, operae pretium habuit de ea medicos scriptione commonefacere. In hac scriptione aliorum et suas observationes refert, quae omnes probant radicem columbo praestans fuisse reme-

dium dysenteriae, quae anno 1773. Franco-furti ad Viandrum epidemice regnavit (1). Nimirum sedatis primum intestinorum torminibus simplex usus pulveris radicis columbo, cui aliquando cortex simarouba erat junctus, aegrotos sanos fecit. Similiter Doct. Bartonus ipsius vim laudavit contra dysenteriam, quam aequinoctialem Indicam vocat, quaeque epidemice in India orientali saeviit. « Quando aeger « (scribit) his aliisque auxiliis majus acquisi- « verit robur et tunica intestinorum villosa fere « sanata erat, tunc radix columbo summae « erat utilitatis, simul cum vino dulci gene- « roso (2)."

Neque tamen solum in dysenteriae impetu jam diminuto radix columbo adhibetur, sed etiam in ejusdem cursu; immo initio, si biliosae indolis fuerit, utile remedium a Percivalio fuit praedicatum. Quamvis enim adstringentia hoc tempore nocerent, radix columbo tuto et fructuose usurpatur, quoniam vi sua antispasmo-

(1) Vid. Beckeri *Dissertat.* §. IX. *etc.*

(2) Vid. James Barton, *Dissert. de Dyssenteria contagiosa, praecipue de illa specie, quae in Indiis occidentalibus observatur.*

modica turbatos primarum viarum motus compescit, ipsamque bilem corrigit. In genere vero hoc remedium in dysenteriis biliosis magis, quam in aliis celebratur (1). Sic etiam Doct. Carron hanc radicis vim contra dysenteriam biliosam, quae Parisiis epidemice grassabatur, observavit et scriptis laudavit (2).

Fred. Jahn in ventriculi et intestinorum morbis, quibus hypochondriaci vexantur, insignem tribuit utilitatem radici columbo. Multi medici hoc medicamen cautionis loco commendarunt; quoniam vis ejus antiseptica ex chemicis satis constat. Denique dysenteriae rheumaticae etiam solo hujus radicis usu cum spiritu salis ammoniaci anisato curatae sunt (3).

Contra diarrheas non minus commendari meretur columbo, quam contra dysenterias, idque ob eandem rationem. Ejectis enim, si quae fuissent, sordibus haec medicina, ceteris aliis frustra exploratis remediis, saepe una opem tulit. Contra omne alvi profluvium, teste Pringlio,

(1) Vid. Percival *Essais etc. l. l.*

(2) Vid. Sedillot. *Rec. Périod. de la Soc. de Médic. de Paris T.* 31. *p.* 353.

(3) Vid. Jahn *Auswahl der Werksamsten etc.* I *D. p.* 604. 5.

glio, mirum saepe quantum valuit, ut etiam contra molestissimum et lethale phthisicorum (1). Eadem saepe infantibus multum prodest in diarrhea et vomitu compescendo, quibus vexantur, cum dentiant. Immo Percivalius, cum cetera alia, bona etiam remedia, frustra adhibuisset, suâ columbo hos morbos curavit. Tunc etiam juvat radici columbo addere aliquid absorbentis remedii, ut acidum, quo dentientium ventriculus et intestina vexari solent, corrigatur. Sic etiam gravidarum feminarum nauseam et vomitum compescit, nam idem Percivalius scribit, se haec gravidarum vitia nullo aptius remedio debellasse, quam infusâ columbo; prudenter vero monet V. S. aliquando primo instituendam esse, semperque cavendum, ut alvus soluta sit, idque magnesiâ fieri posse (2).

Cum Percivalii testimoniis egregie etiam conveniunt Weikardii observata (3). Vomitui diuturno ex debilitate aut irritabilitate ventriculi, vel etiam vomitui podagrae irregularis comiti utilissimum est remedium, si il-

lo-

(1) Gaubii *Advers.* p. 82.
(2) Vid. Percival *l. l.*
(3) *Medizinische Fragment. und Errinnering.* p. 205,

lorum causa sit, vel ventriculi acidum, vel bilis acris, succusve pancreaticus corruptus. Bertrand de la Gresie vomitum chronicum, qui annum duraverat, et contra quem quaevis omnis omnino generis medicamenta nihil valuerant, radice columbo curavit (1); quem vomitum autem facit renis morbus, eum vidit Percivalius sedatum columbo infusâ in aqua menthae.

Eandem radicem cholerae utilissimam medicinam depraedicarunt multi; et inde quidem radicis fama venit (2). Hic enim morbus, ut Indiarum incolas frequens et dire vexat, ita hujus remedium familiare est columbo. Sedat nimirum tormina vehementia, vomitum, compescit alvum, sistit proclivitatem bilis in putredinem, et revocat vires aegroti exhaustas. Johnsonus, narrante Percivalio, medicus praeclarus, qui per decem annos in India orientali medicinam factitavit, cuique in itinere navigantium aegrotorum, anno 1756, cura commissa erat, radicem columbo viginti aliquando aegris, cho-

(1) Vid. *Histoires et Mémoires de la Soc. Roÿal. de Médécine*, p. 292.

(2) Vid. Percival. *l. l. et Esprit des Journaux. a.* 1777. *Avril l. l.*

cholerâ laborantibus dedit, et quod inprimis monendum est, raro medicamenta adhibuit, quae bilem ejicerent, aut ventriculum intestinaque purgarent, antequam radicem columbo in subsidium vocasset. Observavit enim idem Johnsonus vomitum, quod pessimum hujus morbi erat symptoma, cito refraenari et diarrheam aliasque affectiones cessisse huic remedio. Atque in nave, in qua curam aegrotorum habebat Johnsonus, plures ex morbo servati erant, quo in ceteris ejusdem classis navibus laborantes fuerunt exstincti. Dabat pulveris hujus radicis drachmam dimidiam ad drachmas duas, tertia quaque vel quarta hora, prout symptomata postularent (1).

Itaque radix columbo magni momenti remedium est contra choleram, quoniam vomitum, qui aegros misere torquet, cito minuit. Hinc etiam laudatur hoc medicamentum in colica biliosa, cui vomitus accedunt, et in colicis, quae emeticum postulant.

Percivalius suadet praestare ipecacuanhae usum excipi infuso radicis columbo; sic enim columbo

(1) Vid. Percival *l. l.*

bo vices geret evacuantis et infusi florum chamomillae, quod plerique dare solent, et efficiet, ut vehementes vomitus et motus convulsivi avertantur, qui in corporibus irritabilibus, in quibus bilis abundat, vel mitissimis emeticis excitantur. Queritur autem Percivalius de noxiis effectibus, qui aliquando in colica biliosa ex ipecacuanha, refracta dosi sumta, oriuntur, cum ipsa haud raro morbum exasperet. Rationem etiam memorat, quâ ipecacuanhae addi posset aroma quoddam et infusum radicis columbo in aqua menthae. Haec radicis virtus, quae in curandis choleris et colicis biliosis cernitur, quaeque consistit in corrigendâ bile, docere etiam potest, quid de radice columbo in febribus biliosis forte exspectandum sit. Neque hujus utilitatis in his febribus prorsus ignari sumus; nam Whyttius, qui de praestantia radicis columbo a Percivalio certior erat factus, optimos quosvis effectus hujus remedii vidit in febres biliosas putridas puerperarum (1). Percivalius quoque radicis datis granis quindecim viginti vel cum eadem aut majori copia tartari vitriolati

aegris

(1) Vid. *Histoires et Mémoires etc. p.* 292.

aegris multum levaminis attulit. Hujus curandi rationes exponens, Cl. Vir opinatur aestum sale medio minui, alvumque bene solvi, dum vis radicis columbo roborans viribus aegri succurrit, nauseam compescit, et morbi imminentis vehementiam frangit. Hinc vero antiseptica virtute agit, cum intestina roborando proclivitatem in putredinem avertat, in quam materia morbosa, primas vias occupans, prona est. Denique suadet post purgatum abdomen infuso radicis columbo elixirium vitrioli dulce addere (1).

Praeter haec, quae ipse observaverat, Percivalius adjungit experimenta secum a Doct. Haygarth, medico peritissimo communicata. Qui, cum rogatus a Percivalio, ut radicis columbo virtutes medicas exploraret in febre biliosae indolis, quae epidemice grassabatur Namptwichii, et in hujus urbis vicinio, hoc medicamine usus fuisset, haec de ejus efficacia tradidit. Cum in hac febre primas vias sordibus biliosis putridisque liberasset, radicem columbo dedit, et contra nauseam et spasmos, quibus aegroti adeo vexabantur, utilissimum vidit remedium.

Quam-

(1) Vid. Percival *l. l.*

Quamquam enim remissiones satis manifestae erant et frigus aliaque febris intermittentis symptomata observabantur, tamen cortex peruvianus plus nocuit quam profuit, cum ipsius usus aestum febrilem incitaret et linguam aridam faceret. Itaque corticis peruviani loco radicem columbo exploravit, quae speratum ipsi praestitit auxilium, bilem corrigendo et ventriculi totiusque corporis tonum restituendo. Denique vero illud ipsum remedium febres recidivas, quae frequenter observabantur, etiam praevertit (1).

Ex dictis apparet radicis columbo egregia contra has febres virtus. Vetant autem ejusmodi febrium varia indoles et tempestatum regionumque, in quibus occurrunt, diversitates, indeque epidemiae forte singularis ratio, ne certae curandi regulae in febribus istis sine discrimine statuantur. Sufficiat observationes a Doct. Haygarth communicatas probare radicis columbo miras aliquando, immo cortice peruviano majores virtutes. Adeoque etiam docemur, quod saepius simplicissima remedia morbum curent, quos pessima saepe comitantur symptomata.

Ex

(1) Percival *l. l.*

Ex hac tandem, quae in febribus biliosis observata est, virtute radicis columbo, Percivalius conjicit columbo fore etiam medicinam febribus flavis Americanorum salutarem. Nam in his spasmi vehementes observantur et bilis nimis aestuat et abundat, atque vomitus brevibus intermissionibus frequens manet, saepius sine remissione est, multumque bilis haud raro continua et subita vi profunditur. Quid? quod radix columbo cum ceteris amaris in eo convenit, quod utilissima sit contra ventriculi et intestinorum debilitatem. Sic magnopere praedicatur in languente ventriculo cum appetitus defectu, in prava digestione, nausea et flatulentia. In lienteria quoque valde laudatur. Percivalius ipse contra pravam digestionem ex bilis defectu felici cum eventu hoc remedio usus est. In Indiis columbo hoc consilio frequentissime usurpatur, incolaeque hanc secum ferunt et vino Maderensi, quo vis medicatrix optime excitari videtur, mixtam bibunt (1).

Contra eadem mala medici Parisienses et Mon-

(1) Vid. Alibert *Nouv. Elem. de Thérapeut, et de Mat. Méd.* 2 *Edit, p.* 137

Monte-Pessulani, inter quos Chaptalius et Pethiotus multum laudarunt (1). Sellius hoc remedium commendat in obstructionibus viscerum insanabilibus (2). Jahn expertus scribit hypochondriacos solius columbo et quassiae usum ferre. Ita etiam contra appetitum nimis auctum vel depravatum, quibus hypochondriaci, feminae hystericae et gravidae afficiuntur (3).

Denique haec radix utilissima est contra debilitatem universam, quae ex multis et debilitantibus ejectionibus nascitur. Sic contra eam, quae post maniam aliquando observatur, debilitatem a Jahnio valde commendatur columbo, quoniam eâ, quam habet mucilagine simul nutrit, neque irritat. Hinc ex ejusdem Jahnii sententia praeferri debet cortici peruviano, calamo aliisque remediis, quae viribus suis adstringentibus, aromaticis, aliisque principiis corpus irritabile nimis excitant. Hinc etiam est, quod haec radix propter virtutem mitiorem a nonnullis contra phthisin pulmonalem feliciter adhibita sit (4).

Haec

(1) Vid. *Hist. et Mémoire. et Espr. des Journ. l. l.*
(2) Selle *de cur. hom. morb. p.* 600.
(3) Jahn. *l. l.* (4) Jahn. *l. l.*

Haec de usu radicis columbo sufficere mihi viderentur, nisi pauca dicenda essent de medicaminis dosi et modo exhibendi, deque ejusdem cum aliis remediis conjunctione.

Radix columbo saepe in pulverem redacta adhibetur. In Indiis, uti supra dictum est, pulverem miscent cnm vino Maderensi. Percivalio idem pulvis cum aqua menthae junctus placuisse videtur, et electuarii forma a Beckero in usum est vocatus. Cel. Jahn aliique decoctum laudarunt inprimis hypochondriacis, qui plurima medicamina respuunt.

Praescribitur pulvis a drachma dimidia ad duas. Radix columbo etiam fructuose cum aliis remediis potest sociari. Huic consilio egregie inserviunt medicamenta absorbentia, quae vi sua acidum corrigente dyspepsiae aliisque ventriculi affectibus medentur. Cum his quoque conjungi potest pulvis gummi arabici, cujus mucilago corporibus irritabilibus multum proficit. Horum remediorum miscela egregie convenit infantibus, qui saepius diarrheâ, vomitu et convulsionibus vexantur ex ventriculi et intestinorum morbis. Ita quoque radicis ipecacuanhae cum nostro remedio copulatio proficua mihi

vi-

videtur. Etenim ubi spasmi sedandi sunt et roboranda intestina, haec miscela omnino convenit. Sic in tussi ferina minutissimas radicis ipecacuanhae doses cum radice columbo junctas levamen afferre, et jam ex ipsa medicamenti natura conjici potest, et observatione confirmatur. Multum quoque a pulvere Doveri et radice columbo sociatis utilitatis exspectari posse videtur; fore enim arbitror, ut in diarrhea rheumatica materies morbosa ad cutim pellatur et intestinorum tonus restituatur. Flores zinci cum radice columbo mixti salutares habent effectus, quoniam et obstructionibus et debilitati intestinorum succurrunt. Hinc fortasse eadem copulatio in morbis verminosis haud parum proficiet.

Denique diffitendum non est, medicamenta aromatica et radicem columbo inter se juncta, inprimis torpidis constitutionibus utilissima esse. Cel. Jahn cum cortice peruviano, aurantiorum, stanno aliisque remediis radicem columbo miscuit.

Haec habui, quae proponerem de usu radicis columbo medico, cui adjungere non incongruum duxi Cel. Percivalii observationes ex lingua Anglica in Latinam translatas.

Observationes Percivalii de usu radicis columbo.

Exemplum I.

Th. de Newtonlane, cum mense Augusto anni 1771 post magnos labores peractos sudans frigus conceperat, gravi diarrheâ et vomitu cum magno ventriculi et intestinorum dolore correptus est. In hoc miserrimo statu per quatuor et viginti horas mansit, antequam ad eum perveneram. Vires erant admodum debilitatae; dedi pulveris radicis columbo scrupulos duos tertia quâvis quartâve horâ in aqua menthae piperitidis. Aeger ex hoc remedio statim refocillatus est, at vero cum citius quam par erat ad opus suum rediisset, brevi in pristinum statum est relapsus. Tandem vero eodem medicamine sanitatem recuperavit.

Exemplum II.

W. W. die 31 Augusti, anno 1770, ante tres

tres dies diarrheâ occupatus fuerat, quae sensim exacerbata est, et horis quatuor postremis admodum vehemens fuit, accedentibus multo vomitu spasmisque pedum. Sumsit aeger pulveris radicis columbo scrupulum omni bihorio eo cum successu, ut vomitus et diarrhea post primam dosin cesserint et tribus drachmis hujus remedii ad sanitatem revocatus sit.

Exemplum III.

Mulier P. mense Aprilis anni 1771, initio tertiae post partum hebdomadis magnum dolorem sentiebat, conjunctum cum sensu plenitudinis et ingratis intestinorum affectibus et accedente diarrhea. Faeces, quas deposuit colorem et spissitudinem cremoris monstrabant, pulsuum numerus erat 100 ad 115, lingua crustâ albâ tecta, cutis fere semper sicca et arida; diarrhoea, aliaque symptomata noctu semper erant graviora. Ipecacuanha pro emetico, opiata, elixir vitrioli aliaque restringentia, refrigerantia nullam opem attulerunt. Infusum fortius radicis columbo cum cortice cinnamomi infuso optatos habuere successus. Post unum quod-

que

que vasculum horum medicaminum reconvalescere coepit aegra, dolores evasere, et diarrhea minor fuit. Praeterlapsis quinque diebus rediit sanitas.

Exemplum IV.

Eques N. N. annos natus 26, ad finem mensis junii anni 1771, coelo fervido, solitis symptomatibus cum febre correptus est. Emeticum et mite purgans remedium fuere usurpata, potionesque salinae praescriptae ut subinde adhiberentur. Continuavit usum horum remediorum per duos tresve dies, nec magnum solatium habuit; assiduus vomendi conatus et bilis viridis vomitus insecuti sunt. Cutis fuit arida et sicca, pulsuum numerus erat 120, lingua sordida et in media parte haud satis soluta, invito ribesiorum aliorumque fructuum usu. Querenti de intenso capitis dorsique dolore et lassitudine per totum corpus, clysma fuit applicatum et tartari vitriolati (sulphatis potassae) scrupuli duo ministrati omni quadrihorio cum tribus cochlearibus infusi radicis columbo. Jam vero prima dosi vomitus et siccitas minuebantur et con-

continuato ejusdem remedii usu cessabant, dum levis diarrhea, sale medio excitata, symptomata febrilia mitiora reddidit. Die 11 alvi dejectio bis fuit sanguinea. Cum vero debilis esset, cortex peruvianus cum adstringentibus statim in usum vocatus est. Hujus ope pravum illud symptoma evasit et aeger ad sanitatem rediit.

Exemplum V.

Die 2 junii anni 1771 puer duorum annorum gravi diarrhea et vomitu praeter alia dentitionis symptomata laborans, post tres dies ad summam debilitatem pervenit. Propinavi infanti pulveris radicis columbo grana quinque cum pulveris e chelis cancrorum granis tribus omni bihorio. Jam prima dosi vomitus cessit et diarrhea brevi fuit sedata, ita ut intra duos dies aeger sanitatem recuperaverit.

Quae his Percivalii observatis confirmantur, novum robur acquirunt per observationes, quas mecum communicare lubens voluit Vir Cl. Bernard praeceptor aestumatissimus, ex cujus inprimis institutionibus et familiaritate uberrimos me percepisse fructus, gratus agnosco.

Prior observatio mulierem spectat plurium liberorum matrem, quae praeterea sexies abortum fecit, quamque per octo annos fluens alvus exercuit; neque alvus contrahebatur nisi ubi gravida mulier erat. Ipsi annos triginta octo natae facies pallida et tumida, totius corporis habitus vitiatus est. Anno 1819, corpore aestate resoluto, sanguinis ex vulvâ profusio insequitur per tres menses durans; alvi profluvium vires una consumit, emacrescit corpus. Haec vitia medicamentorum auxilia desiderant: suadente medico aegra medicamentis utitur iis, quae ventrem adstringunt, et in quibus adversus sanguinis profusionem auxilium est; acido sulphurico, liquore stiptico, rosae rubrae floribus, succo catechu, gummi kino, cortice cinnamomi, elect. diascordii Fracastorii similibusque. — Sed frustra omnis tentata fuit curatio. Medicus ideo, quoniam ejus spes ad

ir-

irritum erat redacta, Cl. Viri consilium adhibendum esse ratus, rogat, quid ipsi videretur. — A longa quiete petendum esse praesidium visum fuit, et ab explorato saepius medicamento, radice columbo.

℞ Pulv. rad. Columbo unc β
—— Chel. Cancr.
—— G. Arabici ā drj.
M. F. Pulveres N°. XII
S. alterâ quavis horâ pulvis.

Ex quo evenit, ut sedato sanguinis profluvio, alvus magis coacta paulatim contrahatur, demum quotidie semel tantum descendat, bene respondentibus menstruis. Neque mulier ante ab usu istius medicaminis destitit, quam ex morbo convaluisset.

Altera observatio pertinet ad rusticum, qui annos quadraginta octo natus, cum mense februarii anni 1804 vehementibus articulorum doloribus premi coepisset, mense martio in continuam febrim incidit, in qua liberalia erant remissionum tempora, tum quoque mediocris dolor. Totum corpus lassitudinem sentit; consu-

lendum esse videtur, ne vires aegri deficerent. Cortice peruviano infringendam credunt febrem; haec initio levior ut videbatur, dein majori impetu urget; sed ex ejusdem adauctae vi apparet, corticis usum aegro vehementer nocere. Mense aprili magni rursus dolores et inflammationes excitantur; sanguis incisâ venâ mittitur, iterum tertioque, immo septies intra octo dies. Purgatione alvus sollicitatur. Febris interdiu levior est, intolerabilis vero circa pectus et scapulas et articulos dolor. Mense junio levantur dolores et febris. Julii mensis initio repentina alvi profusio oritur, alvus assidue et vehementer fluit, die vigesimo, quater decies descendit. Consilio inito, nam periculum est ne vis omnis intereat, radix columbo datur, paulatim firmatur alvus, reficiuntur vires, et ab illo tempore ex gravi hoc morbo aeger convalescit.

T A N T U M.

THE-

THESES.

I.

Irritum et periculi plenum est eorum studium, qui generale ponunt principium, e quo omnium morborum ratio intelligi debeat.

II

Ratio medendi, proposita a Broussaisio, videtur famam suam debere Methodicis, qui cum Brownio facientes incitantium fuere amantissimi.

III.

Eximia nostri Bonnii, a Wrisbergio etiam et Soemmerringio laudati, *de continuationibus membranarum* scriptio satis fundamenti habet, cui suam de membranis laudabilem doctrinam superstrueret Bichatus.

IV.

Cum Cl. Bergenius anno 1736 in sua *de pia matre* disputatione primus conjecerit arachnoideam vestire cerebrum internum, Franci nimii fuerunt in laudando Bichato, nempe ad hunc, jam suis meritis magnum virum, illius membranae inventionis laudem referentes.

V.

Membrana arachnoidea cum una et structurâ et actionibus et morbis naturam utrique membranae et pleurae et peritonaeo similem ostendat; primum quidem inter membranas serosas locum occupet.

VI.

Probamus Wenzeliorum conjectnram de septi lucidi et ventriculi tertii commercio.

VII.

Recte Hippocrates Aph. 52. S. II. contra rationem medendi Empiricam: « Omnia secun-« dum rationem facienti, si non succedant se-« cundum rationem, non transeundum ad aliud, « manente eo, quod visum erat ab initio."

VIII.

Prima ac praecipua sedes tussis convulsivae quaerenda est in organis pneumonicis.

IX.

Febres ita dictae saburrales gastricae, licet qui iis laborent, magnam vim bilis ejiciant, a febribus tamen biliosis sollicite distinguendae sunt.

X.

Quamvis plenus et durus pulsus indicium sit inflammationis, inflammatio tamen, pulsu nec pleno nec duro, esse potest.

XI.

XI.

Quamvis nomina chemica, variis medicamentis recens indita, ingenium medicamentorum longe melius declarent, quam antiqua, adeoque antiquis sint praeferenda, tutius tamen est in artis exercitatione uti antiquis nominibus.

XII.

Inventio principii alcalini *quinine* dicti finivisse videtur controversiam, utrum vis corticis peruviani febri inimica a toto cortice, an ab uno quodam principio sit repetenda.

XIII

Probabile est excellentes remediorum vegetabilium virtutes proficisci a propriis et singularibus principiis.

XIV.

Opium e papavere indigeno incisione capsularum colligi potest tantâ copiâ et tam purum, ut papaver coli possit cum quaestu ac lucro.

XV.

Faba Pechurim videtur esse semen Tetrantherae, quam Sprengelius, examinato florente arboris ramo, sic describit: tetranthera panicu-

culis axillaribus erectis, nudis, folio brevioribus, foliis oblongis, utrinque attenuatis, subtus pubescentibus.

XVI.

Magni Herderi sententia, qua homo ob ipsius statum gressumque cerebrum habeat adeo evolutum, non omni dubio caret.

XVII.

Non prorsus contemnenda est Lavoisierii de tonitrûs causis sententia; etsi non sufficere censenda est, non desunt argumenta, quibus sese commendet.

XVIII.

Probabilis est Wellsii de roris origine sententia.

XIX.

Pulchra Hallii experimenta de calorico, memorata in libello (*Description d'une suite d'expériences qui montrent comment la compression peut modifier l'action de la chaleur*) ex Anglica in Francicam linguam a Picteto converso, momentum addunt Huttonis conjecturae de origine montium.

XX.

Pulchre Lucretius:

Nec manet ulla sui similis res; omnia migrant
Omnia commutat natura, et vertere cogit.